

Universitätsbibliothek Wuppertal

Totius Latinitatis lexicon

secundum tertiam editionem, ..., correctum et auctum labore variorum

Forcellini, Egidio

Schneebergae, 1831

Brief (Jacopo Facciolati an Giuseppe Dalle Laste)

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1615

EPISTOLA EDITA

VENETIIS ANNO MDCCCLVI.

INTER MENSTRUAS HISTORIAE LITTERARIAE MEMORIAS

APUD PETRUM VALVASENSEM T. VII. P. II. ARTIC. X.

J A C O B U S F A C C I O L A T U S**J O S E P H O L A S T A E**

VENETAE PISANORUM BIBLIOTHECAE PRAEFECTO

S. D.

Quid ais, o bone? Mene Calepini Lexicum fecisse? Ego vero nec feci, nec fecisse velim. Hujus libri auctor Fr. Ambrosius est, patria Calepinus, instituto coenobita Eremitanus; qui tantum operaे in eum contulit, quantum industрии coenobitae vires et tempora patiebantur. Laudandus hominis conatus, qui omnium ante se famam obscuravit, solusque grammaticas scholas diutissime tenuit. Auctus subinde a multis est, iterumque ac saepius editus; jamque ita creverat, praesertim Passeratii sive opera, sive nomine, ut vix quipiam ad hoc studii genus addi posse videretur. Itaque cum ego Patavini Seminarii scholis praefectus excutere illum coepi, et palam profiteri, velle me millia multa expellere, quae barbara essent, atque alia sufficere, crabrones excitavi, a quorum aculeis vix me servavit Apollo: Georgium dico Card. Cornelium, Episcopum Patavinum, qui mihi uni credere maluit, totiusque rei arbitrium concessit. Illud quoque permisit, ut unum aliquem ex meis discipulis (nam eodem tempore Academiae scholam regebam) deligerem inge-
nio moribusque spectatum, isque AEGIDIUS FORCELLINUS fuit, qui zothecula mea inclusus mihi uni auscultaret, operamque fideliter prae-
beret. Sed cui haec? Tu ipse circa tempora illa alumnus Seminarii eras, et omnia recte nosti. Quatuor admodum annis expurgatus, auctus et perpolitus liber est, non quidem ut debuit, sed ut potuit, urgente quotidie typographo. Placuit Latinitatis studiosis, et invidiam extinxit. Hinc crevit audacia, et majus aliiquid cogitare coepi. Scilicet ne ipse quidem mihi Caroli Stephani Thesaurus probabatur. Quid quaeris? Novum condere Latinae linguae Lexicum aggressus sum, quod voces omnes, variosque earum usus comple-
cteretur, ejusdem adhibita FORCELLINI opera, huic studiorum generi jam Assueti, planeque dicati. Vix sex volumina apud me scripserat, cum Card. Cornelius fato cessit, percussoque pastore dispersae sunt oves usque ad annum saeculi tricesimum. Tunc ego Seminarii curam denuo suscipere jussus, quantum publicae Universitatis ratio pateretur, pristini operis cogitationem revocavi, eundemque ad-

PRAEFATIO

XXXIX

jutorem accivi, qui jam satis superque instructus, ipse per se, acceptis praesidiis, lucubraret. Tandem per varios casus, quos nihil attinet commemorare, ad calcem ventum est, vixque ego in plerasque litteras quipiam contuli praeter consilium. Princeps hujus operis conditor atque adeo unus FORCELLINUS est (*).

Jam habes de toto Calepini negotio, quo pertinet pars litterarum tuarum prima, etc.

Patavio Idib. Januar. ann. MDCCLVI.

(*) Edidit iterum hanc epistolam Facciolatus an. MDCCLIX. in calce libri, cui titulus: *Animadversiones Criticae in magnum Petri Danetii Dictionarium*. Locum hunc ita mutavit: *Tandem per varios casus, quos nihil attinet commemorare, ad calcem ventum est; vixque ego in plerasque voces quipiam contuli praeter consilium, in multas autem ne consilium quidem. Jam habes de toto Calepini negotio etc.* Eadem epistolam tertio edidit, anno scilicet MDCCLXV., et est CLXX. inter ejus Epistolas Latinas (pag. 296.) Locum hunc ita mutavit: *Tandem per varios casus, quos nihil attinet commemorare, ad calcem ventum est; nondum tamen ad typographum, qui latet in fatis. Jam habes de toto Calepini negotio etc.* Erat ille adhuc in vivis, cum typographus in hoc opere laborare jam cooperat. Haec itaque in scriptis reliquit, quae huic epistolae post ea verba, *latet in fatis*, adderentur. *Tandem fata cessere Marino Card. Priolo Episcopo Patavino, qui pro animi sui magnitudine et litterarum amore diutius ferre non potuit scholarum Latinarum voces jure querentium deesse sibi adhuc satis copiosum Latinitatis Lexicum. Superi faxint, ut omnia illi bene vertant, quae ad typographiae hujus, totiusque Seminarii felicitatem summo consilio et providentia jam instituit.*

A T I O E A L O T R I A

A T I A P O R T A T U C O D A

E T T A P H O N I A